PATER PAUPERUM SIVE DE S. SPIRITU ADVENTU, ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO AD...

Agostino Viale

Digitized by Google

INNOCENTIO XII.
PONT. MAX.
AUGUSTINUS VIALE
Felicitatem.

P*Ontificibus Maximis Cæteri orationes ſuas, poſtquam dixerint, ſacrant. Hanc ego, B.P., Tibi jam ſacravi, cum dixi. Tua quidem erat, cui tuum, diſſimulato nomine, erat argumentum PAUPERUM PATER. ſque adeo, cujus vices in Terris geris, Pra- gativas exprimis, ut eloqui Deum nequeamus, uin Te pariter Auditores intelligant, cumque le auribus inſonat, ex templo Ipſe oculis in- urras. Te tamen in primis Divinæ Charita- s æmulatio ſpectabile divinitatis Ectypon red- it. Magnis LEGUM, majoribus OPE- UM inſtitutis, veluti geminis Imperii la- rtis Omnium quidem felicitati adlaboras, ſed orum præcipue, quibus unum patrocinium aupertas, una commendatio impotentia remu- erandi. Quamquam quid rependi à quopiam ſſet tam exaggeratæ charitati, quæ Te omnibus*

præſtat non modò tua uberrimè profundentem, verum etiam profuſiſſimum TVI? Scilicet in id Univerſorum Principem agis, ut fauſtitati Singulorum per TE potiſſimum quibuſcumque accedentibus obvium famuleris. Magnus in hoc quoque divini Aemulator Spiritus, cui parum eſt Eccleſiæ Votis per ſua chariſmata gratificari, niſi & ſe quoque chariſmatum Auctorem ſuperfundat. Patere igitur, B. P., cum quo facta communicas, promiſcuam cum Deo habere orationem. Patere non minus verè, quàm ſplendidè confundi divinis titulis tuos. Fuerit olim exotica in Ethnicum Cæſarem aſſentatio, quòd ejus Encomiaſtes exclamarit O nos felices, quibus non jam illud optandum eſt, ut nos diligat Princeps, ſed Dii quemadmodum Princeps, Dii Cæſarem imitentur. *Ego ſanè non verear aſſentatoris notam, ſi liberè pronunciavero, Feliciſſimam Eccleſiam, Te demum habito, deſiiſſe jam optare Pontificem, qui ut Majeſtate ſupra Nos neceſſariò refert, ita & erga Nos Voluntate referre ſtudeat Deum.*

Plin. in Paneg.

ORA-

ORATIO.

QUÁM feliciter, B. P., hodierna luce cauſam ſuam perorat Eccleſia! Jam certum ſibi ſpondeat Diviniſſimi Amoris illapſum, dum ſupplex inclamat, VENI PATER PAUPERUM. Tanti ſecuritatem voti hæc una confert verborum trias; qua ſcilicet amantiſſimo Paracleto maximus obiicitur adveniendi Titulus nullum in nobis meritum impetrandi.

Innumera profectò ſunt divini erga nos Amoris arcana; ſed primum omnium Ipſe. Quis enim cogitatione aſſequatur, quo pacto Deus, qui ſe neceſſariò quantus eſt amat, amare quippiam, quod Ipſe non eſt, aut velit, aut poſſit? Quodnam illicium, ut à Deo diligatur, oſtentet Homo ex primitiva nihili abyſſo? Quodnam è ſubſecutæ barathro culpæ? Divinum in amorem nil pe-

nitus conferre, cum non eſſemus, potuimus; multoque minus, cum bonum nobis erat, ſi numquam fuiſſemus. Sed tamen bene eſt. Nulla noſtri ratione allici poteſt ad amorem Deus, qui Nos, unicè quia voluit, perpetua Charitate dilexit. Dignus igitur Deo hic unus erga Nos amor, & quem idcircò vel immerentes non immeritò depoſcamus. Erigat proinde frontem hactenus pudibunda Paupertas: Aſſurgat in vota ſuæ tandem conſentanea fortunæ: Sempiterno Amori Spiritui Paracleto fidenter ingeminet, VENI PATER PAUPERUM. Juſta expoſcimus, quia non meremur, propemodùm debita, quandoquidem indigemus. Hinc enim verò noſtræ fiduciæ robur: Abundè in Nobis Paupertatis, Amoris in Parente Deo pluſquam abundè: Quid igitur Ipſum ſui diffundendi cupidiſſimum ſibi obſequi vetet? Alioquin quidnam aliud impellat, qnem ne virtutum quidam humanarum nomina afficiunt? Seſe diffundat ex Juſtitiæ legibus, qui nemini unquam fœnore obaeratus? Ex officioſæ legibus Æquitatis, qui nemini pariter beneficio devinctus? Iniuriam omninò irrogat divinæ Sanctitati, qui eam ad gregarias Hominum virtutes effingit, ac deprimit. Altiùs enitendum eſt: Revocandus in Deum Deus. Sibi uni morem gerit prima omnium Cauſa: Sibi gratificatur uni ulti-

mus

mus omnium Finis. Nobis nil penitus arrogandum, ut tandem exuberemus. Cum Terra olim erat inanis, & vacua, tùm planè fœcundaturus omnia Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Dives in miſericordia unum theſauris diſpertiendis petit egeſtatis ſinum. Actum erat, niſi hoc nobis ſuppeteret patrocinium Mendicitatis. Dictum eſt olim *Regi minus flagitioſum armis, quàm magnificentia vinci*. At regum Regi ultro impoſſibile magnificentia provocari. Unica ipſius devinciendi ratio conſcientia Paupertatis. *Sall: Iug.*

At enim in noſtræ Paupertatis ſupplementum proferre poſſumus efficaciſſimam ad impetrandum Syngrapham, Chriſti Salvatoris de mittendo Paraclito ſponſionem. Poſſumus quidem, ſed in majus noſtræ Paupertatis argumentum. An non omnium ex ſe pauperrimus, qui quemadmodum alienis opibus, ut diteſcat, æquè, ut eas impetret, titulis indiget alienis? Nec rurſus noſtra origine efferamur, qua Deum Pauperum Patrem, adeoque nos filios appellamus. Utcumque Filii, Pauperes ſumus. Hoc utique Noſtrum; illud proculdubio non noſtrum. Sed tamen hinc nobis ſpes felicitatis, vena opulentiæ, quòd tanti Soboles Parentis Pauperes ſumus. Quidni enim noſtram indigentiam ditaturus ſe noſtra in pectora diffundat

Divi-

Divini Spiritûs cordis? Ideò tam facilem demerendi ſui teſſeram inſpiravit, qua ſibi obiiciatur maximus ad Nos deveniendi Titulus nullum in nobis meritum impetrandi.

Quæ cum ita ſint, Ipſo Dei Spiritu auctore ad ipſum inclamemus, VENI PATER PAUPERUM. Nec noſtra obſtet inopia meritorum, quando hæc fruſtra obtendere conaremur, cum ipſe petitur meriti principium Amor. Ipſe jubet, ut ſupra merita ſperemus, quin contra merita precibus connitamur. Cauſarum ergo ad obtinendum ſatis. Jam nos corporatum Dei Verbum edocuit, quibus ipſum vocibus de Cœlo quotidie revocemus. Hodie ſpirabilis Dei Amor igneas in linguas diſpertitus Noſtrùm omnium ora erudit ad ſui quoque impetrationem Adventus. Diſpar quantumvis ratio, eventus profectò non diſpar. Unigenitum Patris Filium exercita Poteſtate, quam tradidit, devocamus. Paraclitum utriuſque Spiritum devocare dabitur obiecta Paupertate, quam auferat.

F I N I S.